

ASSERTUM VII

RELATIONES DIVINAE REALES RATIONE A DIVINA ESSENTIA DISTINGUUNTUR ET REALITER CUM EA IDENTIFICANTUR.

Ad terminos:

relationes divinae reales: nempe, paternitas, filialio, spiratio activa, et spiratio passiva.

essentia divina: deitas; cum tamen in Deo nulla sit compositio realis, deitas est Deus; et ideo quoad id quod significatur, essentia divina dicit ipsum Deum prout est tribus personis communis, seu prout Deus est Pater, est Filius, et est Spiritus.

distincta sunt quorum unum non est aliud.

ratione distincta sunt quorum conceptus unius non est conceptus alterius.

realiter distincta sunt quorum unum qua reale non est aliud qua reale.

realiter identica sunt quae realiter non distinguuntur.

Argumentum:

Triplici proceditur gressu ut primo probetur divinam essentiam divinamque relationem realem non esse eadem tum re tum ratione, deinde ea esse eadem re, unde tertio relinquatur ea non esse eadem ratione.

Primo, ergo, divina essentia et divina relatio realis non sunt eadem tum re tum ratione.

Nam de eodem secundum rem et rationem non praedicantur contradictoria.

Atqui de divina essentia et de divina relatione reali praedicantur contradictoria.

Ergo divina essentia et divina relatio realis non sunt eadem tum re tum ratione.

Maior est contradictionis principium quod valet de eodem (re) secundum idem (ratione).

Minor exemplis constat, v. g., Pater non est Filius, et Deus est Filius; sed « Filius » et « non Filius » sunt contradictoria; ergo Pater et Deus non sunt idem et re et ratione. Et similiter fit argumentum comparando alias relationes reales cum divina essentia.

Obiecti tamen potest quod, quamvis veirsime Filius sit Deus, tamen admittenda non videtur propositionis affirmativae *conver-*
Deus est Filius.

sio simplex: et ideo dubitari potest de illa praemissa, nempe,

Respondetur. Primo, si Socrates est hic homo, hic homo est Socrates; sed « Deus » et « Filius » sunt termini singulares, sicut « Socrates » et « hic homo »; et ideo ubi termini sunt utriusque singulares, propositio etiam affirmativa convertitur simpliciter. Deinde, quod Deus est Filius, est expressa doctrina conc. Lateranensis IV (DB 432): « ... una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; tres simul personae, ac singillatim qualibet earundem »⁵.

Deinde, divina essentia et divina relatio realis sunt eadem realiter.

Primo, arguitur ex divina simplicitate. Nam deitas et paternitas sunt aut 1) realiter diversa et incomposita, aut 2) realiter diversa et composita, aut 3) realiter identica.

Sed si eligitur primum, Pater non est Deus, quod est haereticum. Si eligitur secundum, Deus non est simplex, habet causam suae compositionis, et ideo non est primum principium; quod etiam est haereticum.

Ergo relinquitur tertium, nempe, deitas et paternitas sunt realiter idem. Et similiter probatur identitas realis inter divinam essentiam et alias relationes divinas reales.

Item, arguitur ex damnatione Gilberti Porretae: « Credimus (et confitemur) solum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates vel unitates dicantur, et huiusmodi alia, adesse Deo, quae sint ab aeterno, quae non sint Deus ». DB 391; et vide notam ibi positam, nempe, teste Ottone Frisingensi, « Romanus Pontifex definit ne aliqua ratio in theologia inter naturam et personam divideret, neve Deus divina essentia diceatur sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi ».

Iam vero, cum Pater sit aeternus, etiam paternitas est aeterna; paternitas ergo est relatio quae ab aeterno adest Deo; ea ideo ex decreto conc. Remensis, paternitas est Deus. Praeterea,

⁵ Cf. DB 390.

NOTAE QUATTUOR

Quare in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas.

Quod assertum in conc. Lateranensi IV (DB 432) contra Abbatem Ioachim definitur.

Cuius ratio est quod, quamvis in Deo sint tres relationes reales realiter inter se distinctae, tamen quia hae relationes realiter cum divina essentia identificantur, in Deo non invenitur quidquid realiter quantum quod tribus relationibus addi posset.

Notate autem hoc concilii principio assumpto, facillime probari quod tres relationes divinae reales et realiter inter se distinctae non possunt realiter distingui sive a divina essentia sive (per extensionem quamdam) a quarta relatione reali quae est spiratio activa.

Etiam in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio.

Quod ab Anselmo enuntiatum principium in conc. Florentino (DB 703) inter ea recensetur quae sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur, et praedicat.

Et in quantum dicit omnia non esse unum ubi obviat relationis oppositio, ex eo constat quod per relationes reales et mutuo oppositas realiter inter se distinguuntur pater et Filius et Spiritus sanctus.

In quantum autem dicit omnia esse unum ubi non obviat relationis oppositio, ex eo constat quod relationes reales realiter cum divina essentia identificantur et, praeterea, in Deo simplicissimo omnia attributa realia realiter cum divina essentia identificantur.

Notate autem, hoc concilii principio assumpto, facillime probari, tum personas divinas realiter inter se distinctas nisi per mutuas relationes reales et oppositas non distingui, tum etiam, cum divina essentia non sit relatio et multo minus relatio relationi opposita, divinam essentiam realiter identificari tum cum relationibus divinis realibus tum cum omnibus attributis essentialibus.

Ulterius, in divinis essentialia et notionalia ratione distinguuntur et realiter identificantur.

Essentialia dicuntur attributa quae in ipsa ratione divinae essentiae fundantur et ideo tum de singulis personis tum de omnibus pariter praedicantur, v. g., quod sunt, vivunt, intelligunt, amant, creant, gubernant, etc.

Notionalia vero dicuntur quae unam alteramve relationem realem important et ideo non de omnibus personis praedicari possunt sed solummodo de illa cuius est illa relatio, v. g., Pater generat sed non gignitur, spirat sed non spiratur; Filius gignitur sed non generat, spirat sed non spiratur; Spiritus neque generat neque gignitur neque spirat sed spiratur; etc.

Iam vero, cum relationes et essentia ratione distinguantur et realiter identificentur, patet essentialia et notionalia etiam ratione distingui et realiter identificari.

Quare inter extrema notionalia illegitime adhibetur essentialiale tanquam terminus medius syllogisticus.

Cuius ratio est quod syllogismus in principiis identitatis et non-contradictionis fundatur; quae principia respiciunt idem secundum idem, seu id quod est idem et re et ratione. Sed notionalia et essentialia, quamvis sint eadem re, non sunt eadem ratione. Et ideo inter extrema notionalia terminus medius essentialis facillime fallacias introducit.

Exemplo sit illud: Filius est Deus; Deus generat; qui generat est Pater; qui est Pater, non est Filius; ergo Filius non est Filius. Ubi contradictio sequitur ex eo quod inter extrema notionalia, quae utrinque sunt Filius, ita introducit terminus medius essentialis, nempe, Deus; ut in diversis praemissis significet, non idem secundum idem, sed idem secundum aliam et aliam rationem. Nam idem realiter est Deus qui est Pater et qui est Filius; sed secundum aliam rationem habetur praemissa quod Filius est Deus, et secundum aliam habetur alia praemissa quod Deus generat seu est Pater.

At aliud sit exemplum et maioris momenti. Nam in conc. Lateranensi IV, DB 432, decretum est:

«... quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus

Sanctus; tres simul personae, ac singillatim quaelibet earundem: et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas; quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina: quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest: et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit: ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura. Licet igitur « alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud »: sed id quod est Pater, est Filius, et Spiritus Sanctus idem omnino; ut secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse credantur ».

Quod difficile videri potest. Nam affirmatur quod illa summa res est Pater, quod Pater est generans, et quod illa summa res non est generans; item, affirmatur quod illa summa res est Filius, quod Filius gignitur, et quod illa summa res non est genita; item, affirmatur quod illa summa res est Spiritus, quod Spiritus procedit, et quod illa summa res non procedit. Unde concludendum videtur quod illa summa res est et generans et non generans, genita et non genita, procedens et non procedens, ut triplex habeatur contradictio.

Sed contra est quod superius explicavimus, nempe, valent syllogismus et principium contradictionis ubi agitur de eodem secundum idem, seu de eodem tum re tum ratione. Iam vero ubi dicitur quod illa summa res veraciter est Pater et Filius et Spiritus sanctus, manifeste non agitur de essentia divina prout a personis praescindit et in se ipsa consideratur. Sed ubi dicitur quod illa summa res non est generans neque genita neque procedens, agitur de essentia divina prout a personis praescindit et secundum rationem essentiae consideratur, cum statim addatur « ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura ». Qua de causa, in diversis assertis, quamvis agatur de eodem secundum rem, non tamen agitur de eodem secundum idem, seu de eodem tum re tum ratione: et ideo contra intentionem concilii non est fallaciter syllogizandum ut ad contradictionem perveniatur.

Quibus intellectis, elegantissima habetur probatio quod relationes divinae reales et divina substantia seu essentia tum realiter identificantur tum ratione distinguuntur. Nam sine reali identitate non habetur quod illa summa res veraciter est Pater et Filius et Spiritus. Et sine distinctione rationis non